

curari velim: quísq; ordo tum in personis, tum rebus omnibus constituendus ab illis sit: præterea quomodo sanis simul & ægris (quátũ quidem ad publicam curam spectat, nam híc singulis non consulitur) rectissimè prospiciatur, accurate, planè atque distinctè, quasi ab vniuerso Senatu ad hoc compellatus (officij enim mei ratio semper id requirit) posthac in medium afferre conabor, ac suis quæque capitibus singulatim complectar & tradam.

## *De Medicis, Chirurgis ac Pharmacopœis.*

### C A P. I V.



**C** O N S T I T V T I igitur hi, (quos diximus) conseruatores, communi Senatus volũtate, assensũque (si sit opus) ciuium, primum omnium, quod sibi procurandum statuent, erit, vt de medicis, chirurgis ac pharmacopœis, quos apothecarios vulgò nominant, Reip. prospiciant: quos ætate, fama, eruditione, experientia, morum honestate, virtute, Dei tandem timore maximè probatos & idoneos iudicauerint. Quales si fortè Resp. non habeat, aut habere nequeat (difficilè enim

est, præsertim temporibus tam periculosis, tales tamque perfectos inuenire) saltem in proximo gradu ut sint, ac fide, industria, temperantia, v-  
 sùq; mediocri ut commendentur ac polleant, sa-  
 tagent. Hi verò salario honesto conducti, & iu-  
 reiurando, nequam discedendi occasionem (ut  
 est humana imbecillitas) ob ingrauescentis for-  
 tèm mali horrorem, captent, Reipub. obstricti, sin-  
 gulatim vnusquisque eorum, quid sui sit officij  
 moneri debent, videlicet ut viriliter mortis ti-  
 more excusso, ad fidem, operamque suam Deo  
 & hominibus approbandam gnauiter incum-  
 bant: Deum inspectorem & iudicem esse eorum  
 quæ agunt, quantumuis vulgus artis imperitū  
 latere possint. Si quid per errorem fraudemve  
 commiserint, impunitum non fore: sin verò se-  
 dulò ac fideliter in suo officio versati fuerint, lō-  
 gè ampliorem mercedem post hanc vitam acce-  
 pturos, quàm hîc ab hominibus persolui queat.  
 Bene, inquit Psalmista, illi, qui fideliter ægrotos  
 tractat: nam quo tempore ipse aduersi aliquid  
 patietur, Dominus vicissim ei auxilium feret.

*Psal. 40.  
 Eccl. 7.*

*Hipp. de de-  
 centior na-  
 tu. Item in  
 lib. de præc.  
 med.*

Medicus autem priuatim per Conseruatores  
 admonebitur, ut sæpe cogitet, quantam omniū  
 spem in se recipiat, qua ipsum, tanquam Deum  
 aliquem è cælo in terram missum suspecturi &  
 obseruaturi sint ciues omnes. Item, quàm ma-  
 gnam gratiam initurus sit apud omnium ordi-  
 num homines, qui ipsius ope feliciter vsi ac ser-  
 uati fuerint: quàmque præclaram famam de se  
 fit

fit excitaturus apud alios, quæ ne quidem post mortem sit extinguenda. Et si enim quorundam ingratitude magna est, præsertim erga medicos: tamen complures tam beneficos futuros, ut sua liberalitate affatim compensent, quod alij auaritia facere neglexerunt. Ingenuorum virorum esse, diligentio rem rationem officij sui habere, quàm lucri, ac magis salutem ciuium, (quò omnia sua studia referre decet medicum Christianum) quàm vel honores, vel opes quærere & spectare. Proinde facilem ac humanum se præbeat erga omnes, pauperibus non solum operam, sed etiam opem pro facultatibus suis afferat: à ditioribus verò salarium oblatum ea modestia & hilaritate accipiat, ut hominum causa munera, non homines propter munera amare videatur: ambitionem enim, habendique sceleratam cupidinem sophistas *δοξασόφους ἢ καινοδόξους* Thessalos ac Paracelsos, non suæ suorumque ciuium salutis studiosos decere. Quin potius nocte dièque meditabitur, ut quicquid ex usu sit, quo arte sua possit à tam periculoso hoste suæ fidei & curæ commissos præseruare vel curare, id in timore Dei maturè & prudenter adhibeat, ut punctum illud, citò, tutò, iucundè (in quo vniuersum sapientis piique medici officium versatur) quàm proximè attingat.

Chirurgi verò admoniti sint, ut se exhibeant *Chirurgi.*  
 promptos, ac in omnibus circumspectos. Item, ut sua consilia cum medicis communicent, atque

ex illorum præscripto omnia agant. Etsi enim vitio temporum & hominum separata modò fit professio, quæ olim erat vna: sitis hæc pars, quæ chirurgia appellatur, ad ipsos trāsata: tamē multa in ea difficilia esse sciunt, quæ nisi à medicis eruditis discāt, eorūque consilio agant, nō satis possunt stationem suam tueri, dignitatique artis cum ipsorum ignominia sæpe multum detrahunt, negligentia verò & imperitia apud alios traducuntur & diffamantur. Persuasi igitur sint, non esse inhonestum, neque indecorū, quod Solon de se ipso dicebat, *γνῆσκα δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος*, & quod Hipp. inquit: In præsentis rei angustia, imperitia tenebras offundente alios quoque accersendos esse, quo ex cōmuni consideratione ægri causa inquiratur & cognoscatur, illique cooperatores fiant ad auxiliij ferendi facultatem. Nam (vt idem ait) in afflictionis assiduitate, augete affectione, ob cōfilij inopiam plurima ad rem præsentem effugiunt. Ad manum autem habeant chirurgi nostri materiam vnguentis, emplastris, epithematis (nam hisce instrumentis ars ipsorum ferè in hoc morbo absoluitur) conficiendis idoneam. Nec desint lanceolæ ad tundendam venam aptæ, nec rasoria ad secandum, nec ferrum ad vrendum, si qui eruperint (quod plerunque fit) carbunculos vel apostemata.

*Pharmacopœi.*

Pharmacopœus demum instructus sit, vt omnis generis necessaria remedia tam simplicia, quàm

quàm composita, antidota, prophylactica, &c. in promptu habeat, ac secundum medicorum præscriptum pro vniuscuiusque facultate fideliter administret, pretiòque iusto diuendat. Cogitet omnem ferè & medici & chirurgi consilij actionis que rationem ac profectum à se pendere. Quid enim profit artificiosè industriè que agere illos, si hic infideliter ac oscitanter suppeditet ea, quibus ars atque opera omnis cum laude perficienda sit? Non existimet se ad prædandum occasionem nactum esse, cùm ciues extrema ne cessitate coactos ad ipsius officinam cateruatim concurrere videt: sed potiùs velut coquum se esse (quo modo tamen nihil volo detractum honori ipsius, cùm nec Galenus medicorum dignitati quicquam detrahit, quãdo artem suam cum restauratrice antiquarum ædium comparat) qui plurimorum desideria & famem sedare subleuarè que debeat: vel tãquam œconomum in magni cuiusdam Principis aula, qui toti familiae pro diuersitate officij, ætatis, dignitatísque ex mandato domini cibum potúmque subministret. Quamobrem quod recipit pretium, non lucrum, sed recompensationem impendij & laboris reputet. Qui enim questum captant, non solent iustitiam, sed *πλεονεξίαν* sectari, neque ciuium suorum salutem, sed suam inexplabilem cupiditatem curant. Quales sunt circumforanei illi medicastrî, atque cum multorum hominum exitio empiriatri Iudæi, Paracelsistæ, Al-

*Medicastrî  
empiria  
tri.*

chymistæ, phædrones, id est, Thrasones Thessa-  
 lici, homines (paucis exceptis) improbi ac nefarij,  
 qui non tantùm artis pulcherrimæ & diuinæ  
 (sic enim à D. Paulo antiqua medicina vocatur)  
 finem cõturbant, atque corrumpunt, sed etiam  
 præcepta eius miserè conspurcant, deprauantq̃,  
 & quod his turpius est, manifestis præstigijs in-  
 famant. Quos nimia Principum & Magistratuũ  
 indulgentia ferri, iurè dolent & detestantur pij  
 & eruditi medici. Cùm enim medicina sit ars  
 planè ex intimis naturæ penetralibus eruta, &  
 causas principiæque sua in physiologia requirat,  
 quæ paucis Principibus nota est: item cùm am-  
 si illi, vel saltem perperam instituti circulatores  
 sæpenuerò multorum scriptis commédatio-  
 nibus bullati, non minùs impudenter, quàm cõ-  
 fidenter se suæque iactare consueuerunt, facile  
 decipiuntur, qui natura mitiores sunt Magistra-  
 tus, præsertim insigni aliqua necessitate vrgen-  
 te, vt aures locumque præbeant Sycophantis.  
 Quod tamen, si prudenter agere velint, non fa-  
 cerent, neque tam temerè inhonestos homines  
 honestis testimoniis suis ornarent. Hisce enim  
 sigillatis bullis, mirum quàm vulgus, illiq̃ adeo  
 ipsi infatuentur, insolescant, & plurimos turpi-  
 ter decipiant. Vtinam ergo, quod boni medici  
 omnes optant, censura publica extet, quæ isto-  
 rum capitalem iactantiam puniret! aut saltem  
 coerceret, ne tam facile medicos se mētiri, pro-  
 tinusq̃ tam sublimem artem exercere auderēt!  
 vtinam

vtinam lege cautum sit, ne quis pharmaca, præ-  
 fertim cathartica, nisi publica authoritate ap-  
 probatus sit, alicui propinare permittatur! Deus  
 bone, quantis fraudibus, quantis erroribus,  
 quantisque periculis, ne dicam occultis cædi-  
 bus humanum genus liberaretur! vtinam, in-  
 quam, illum diem videamus, quo hoc Augiæ sta-  
 bulum aliquando expurgetur! Magno Reipub.  
 commodo in eos animaduertitur, qui impro-  
 bas merces exponunt: puniuntur qui vitiosos  
 pisces aut carnes venditant: præterea ne cerdo  
 quidem in vlllo mechanici artificij genere ad pu-  
 blicè arte sua vtendum admittitur, nisi discipli-  
 næ legitimo tēpore exacto, se magistris probare  
 possit: & impunè ferendi sunt illi, qui res eas,  
 quibus publica priuatâque salus consistit, aut la-  
 befactata restituitur, pro libidine, in occulto sta-  
 bulo, vbi hospes leno, artifex prostibulum, mi-  
 nister fornicarius sit, tractant, malâque fide o-  
 mnia agunt, valetudinem hominum temerè &  
 ignoranter prostituunt & produnt, ac (vt sum-  
 matim dicam) mortem pro vita nefando scelere  
 administrant? Quæ pestis hac vna Reip. pestilē-  
 tior accidere possit? At desino pluribus sacrile-  
 gam turbam conuellerè: quia bona spes est, no-  
 stros, quos instituimus, cōseruatores, tam tristi  
 rerum statu, in quo alioqui multa temerè fieri  
 solent, minimè negligenter acturos, neque com-  
 missuros vlllo modo, quin funestos istos carnifi-  
 ces, ac iniquas Harpyias strenuè abigant, suosq;

quos semel maturo consilio receperunt, medicos, quos honestis testimoniis cōmendatos habent, quos denique virtute, fidelitate, temperantia, pietatēque & literarum cognitione præditos per Dei gratiam nacti sunt, humaniter habeant, ac liberalitatis fauorisque omni genere prosequantur & confirment.

*Marfil. Ficin. de Epid. cap. 2.*

Postremò his non licebit ad alios accedere ægros, quàm qui pestilentia affecti fuerint: quod etiam de aliis ad hanc rem publicè conductis ministris (vt omnis occasio contagij vbique vitetur) statuendum est. Nam cùm fieri possit, vt infectum aërem in vestimentis secum adferant, qui tamen propter naturę validam constitutionem, vel pharmaca, quibus vsi sint, prophylactica, vel quòd iam dudum antè eiusmodi aeri assueuerint, ipsos nondum inficiat, ad insuetos tamen, & iam debiles morbo, cui libetque iniuriæ obnoxios delatus, facilimè eos offendat, quæ (malum) imprudentia fuerit, à quo remedium expectes, ab eo te haurire venenum? At quale venenū? nempe quod vel solo halitu, vel, quod magis mirum, solo arteriarum transpiratu receptum, præsens periculum vniuersæ aliquādo familiæ, imò vniuersæ ciuitati ac toti regioni afferat. Vix enim dici potest, quantopere aeris circumfusi corruptela & virulenta qualitas tenaciter adhæreat vestibibus, præsertim laneis, & spiritus inter anhelandum vitiet, occultaque quasi flamma venas arteriasque, vitæ instrumenta accendat.